



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.45. S. Stephanus in carcere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 767.

§. XLV.

S. Stephanus in Carcere.

Interim S. Stephanus Constantinopoli in carcere detinebatur. Hunc locum ingressus statim prædixit, eundem ultimum fore, in quo vivens commoraretur, & summo solatio perfusus est, quod ibi trecentos quadraginta duos Monachos e diversis Regionibus adductos inveniret. Quibusdam abscissæ nares erant, aliis effossi oculi, aut manus amputatæ, aliis mutilatæ aures, quod Decreto contra sacras imagines subscribere detrectassent. Alii flagrorum, quibus corpora sua concisa fuerant, ostendebant vestigia, alii capita ab Iconoclastis ad ludibrium abrasa, plerique autem genas pice illitas & ambustas. Has multiplices cruciatus notas cernens Stephanus Deo gratias agebat, quod Sanctis Confessoribus donum patientiæ tribuisset, & se ipsum lacrymis dignum judicabat, ut qui in earundem plagarum partem cum illis minime venisset. Illi vero Stephanum Pastoris sui & Magistri loco habebant, Salutis præcepta audiebant, & intima cordis aperiebant. Ita Prætorianus carcer conversus est in Monasterium, in quo officium Divinum secundum Regulam peragebatur. Illi autem, quibus carceris custodia mandata erat, & ad quos

quos pridem Sancti Viri fama pervenerat, mirabantur, & ad eum tanquam Dei Angelum oculos convertebant.

Sæcul. VIII.
A. C. 767.

Quidam custodum dixit ad uxorem suam: *Carissima! morte moriemur præ Tyranni hujus furore; Virum enim perinde ac Deum hodierna die vidi, hunc inquam in vincula coniectum Monachum, quem Auxentianum vocant.* Mulier solertissime virum interrogans vitæ sancti hujus Patris rationem omnem perscrutata est. Clam viro deinde in carcerem ingressa, & S. Viri pedes amplexa ait: *Ne repellas me, Pater mi! ut ut indignam, patere, ut ea, quæ tibi sunt necessaria, subministrem. Non borreas peccata mea, spero enim, Deum exiguum istud obsequium remuneraturum.* S. Stephanus pro ea quidem oravit, sed noluit, quidquam ab ea suscipere; ipsa vero vehementius instante, respondit: *Non memini, me unquam cum Hæreticis ullum commercium habuisse.* Credebat enim, eam Iconoclastarum errore infectam. Hæc ut illa audiit, humi se se provolvens, exclamavit: *Absit hoc a me, Pater mi! ut Christi, aut Matris ipsius, aut ullius Sancti imaginem contempserim. Scio enim, quas pœnas daturi sint, qui eo audaciæ prorumpunt. S. Paternoster Germanus imaginum persecutores in censum illorum hominum referebat, qui olim cla-*

p. 501.

p. 502.

p. 503.

Sæcul. VIII. *marunt: Crucifige! Crucifige! rogo ve-*
A. C. 767. *ro, ne me Marito, nec Custodum cuiquam*
prodas. Hæc locuta, statim domum
recurrat, atque aperta arca tres imagines
arcanas eduxit, unam Dei Genitricis fi-
lium complectentis, & duas alias S. Pe-
tri & S. Pauli Apostolorum, quas cum
reversa coram S. Stephano adorasset, ipsi
postea porrexit, Accipe, inquit, ve-
nerande Pater! has orans ante oculos tuo-
rum pone, atque hinc tibi mei, hoc est, mul-
ti- vis peccatricis memoria refricetur. Ita
S. Stephanus in ejus petitionem consen-
sit; ipsa vero deinceps Sabbato ac Do-
minico die ad eum panis ferme uncias
sex, & aquæ non plus tribus poculis affer-
rebat. Tantulum singulis hebdomadis
ipsi cibi ac potus fuit totos undecim
mensis, quos in Prætorio transegit.

§. XLVI.

Alii Martyres.

p. 504.

Quadam die, Sancto Viro cum aliis Mo-
 nachis captivis sedente, sermo or-
 tus est, de suppliciis illis, quæ Viri San-
 cti durante persecutione passi fuerant.
 Tum Antonius Cretensis Pauli Abbatis
 passionem narravit in hunc modum:
Paulum Abbatem comprehendi jussit In-
sulæ Præfectus Theophanes cognomen-
Lardotyrus, qui in Prætorio hinc Imagi-
nem Jesu Christi Cruci affixi hunc de-
posuit.